Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ecce manus tuam domine laudant pitre alla quia sapia aperuit os muti et linguas infantium fecit disertas alla alla. ℣ Cantate domino canticum nouum cantate domino omnis terra. Oro

Deus qui diuersi gentium confessione tuo nomini adunasti: da ut tenantes fonte baptismatis una sint fides mentium et pietas actionum. ℣. Actum.

In diebus illis. Angelus domini locutus est ad philippum dicens. Surge et uade contra meridianum ad uiam que descendit ab ierusalem in gaza; hec est deserta. Et surgens abiit. Et ecce uir ethiops eunuchus potens candacis regine ethiopum qui erat super omnis gazas eius uenerat adorare in ierusalem et reuertebatur sedens super currum suum. legensque ysaiam prophetam. Dixit autem spiritus philippo. Accede. et adiunge te ad currum istum. Accurrens autem philippus audiuit illum legentem ysaiam prophetam et dixit ei. Putas ne intelligis quae legis. Qui autem et quomodo possum intelligere nisi aliquis ostenderit mihi. Rogauitque philippum ut ascenderet et sederet secum. Locus autem scripture hic erat quem legebat. Tanquam ouis ad occisionem ductus est. et sicut agnus coram tondente se sine uoce ob mutescet. sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit quoniam tollet de terra uita eius. Respondens autem eunuchus philippo dixit ad eum. Obsecro te. de quo prophetam dicit hoc: de semetipso an de alio aliquo. Apperiens autem philippus os suum: et incipiens a scriptura ista euangelizauit illi iesum. Et dum irent per uiam: uenerunt ad quandam aquam. Et ait eunuchus. Ecce aqua quis prohibet me baptizari. Dixit autem philippus. Si credis ex toto corde: licet. Et respondens ait. Credo filium dei esse iesum christum. Et iussit stare currum. Et descenderunt uterque in aquam philippus et eunuchus. et baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua: spiritus domini rapuit philippum. et amplius non uidit eum eunuchus. Ibat autem per uiam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in azoto et pertransiens euangelizabat ciuitatibus donec ueniret cesaree. Nomen domini nostri ihu xpi. Gr. Hec dies.

Benedictus qui uenit in nomine domini deus dominus et illuxit nobis. ℣ Alla.

℣ In die solemnitatis mee dicit dominus fiat omnes in galileam. Seqn.

Laudes deo concinat orbis uniuersus: totus qui gratis est liberatus.

Per suum proprium dilectum filium sedens quod genus humanum casu succubuit uetusto. Misit natum